

ac difficultas, si qua ponitur in controversia determinetur, et ita stat bene Scripturam plene continere ea quæ necessaria sunt ad credendum, non tamen ita ab omni difficultate, et controversia libera, ut nullo determinante, et judicante indigeant. Et similiter licet: *Omnis Scriptura divinitus inspirata sit utilis ad docendum ut perfectus sit homo Dei*, tamen hoc ipso quod utilis est ad arguendum indicatur posse admittere controversias, et difficultates, et contrarias intelligentias, quæ argui, ac judicari debent, juxta quod de episcopo dicit Apostolus ad Titum 1: *Quod potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere*: supponitur ergo Scripturam esse utilem, quia in se habet omnia illa, ex modo tamen habendi non repugnat aliquas circa ipsam controversias esse posse, quæ judice determinante indigeant. Quod vero ponitur limitatio ut sequamur sententiam sacerdotis, si judicaverit juxta legem, hoc solum ostendit quod ipsa lex continet per modum juris id quod definiendum est, et quasi implicite ita quod indigeat aliquo auctoritative declarante, non tamen quod per modum judicis se habet, aut ut explicite judicatum continens id quod difficile est, et controversum; alias non juxta ipsam judicandum esset, sed ipsa judicium proferret, aut explicaret. Similiter etiam ly juxta legem non excludit ea quæ extra Scripturam legis sunt, si ipsi legi sunt conformia, sed quæ legi sunt contraria, et ita bene potest judicari de aliqua controversia fidei juxta ea, quæ in traditione apostolica non scripta continentur, sicut de facto definitum est in septima Synodo generali circa articulum de adoratione imaginum, licet id non sit scriptum in sacra Scriptura. Unde necesse est esse judicem per modum regulæ vi-

væ, quando quidem eorum ex his quæ non sunt scripta determinari possunt quæstiones fidei. Quod vero Apostoli vocentur ministri sermonis, et prohibeantur vocari magistri nihil obstat, nam non est dubium quin sint ministri Christi, sed ministri judicantes, et auctoritatem habentes ad gubernandam Ecclesiam et declarandam fidem, et controversias circa ipsam sicut etiam rex in regno suo habet judices, quia simul etiam ministri sunt regis, quia sunt judices participative, et tamquam vicarii regis. Prohibentur etiam vocari magistri, vel quantum ad inanem gloriam ambiendi magisterium, ut exponit Chrysostomus homil. LXXIII in Matthæum, vel prohibet vocari magistros eo modo docendi, quo solus Deus est magister, scilicet tamquam principalis causa doctrinæ, non ut exterius adjuvantes ut alii addiscant, sicut exponit S. Thomas 1 part. q. XI, art. 1 ad primum, et Augustinus tractatu III, in epistolam Joannis.

XXVI. Ad confirmationem argumenti respondetur, Deum esse judicem supremum per modum universalissimæ causæ et universalissimi judicis, unde non pertinet ad ipsum per se immediate omnia judicare, quæ controvertuntur in fide, sed mediantibus aliis hominibus, sicut ex eo quod universalissima causa est operatur mediis causis particularibus. Unde per aliqua verba se explicat et judicat; tum per verba Scripturæ; tum per verba hominis judicantis, in Scriptura quidem tamquam in libro continente res fidei implicite, vel explicite, cum difficultate tamen aliqua, aut obscuritate, quæ explicari necesse sit: per verba autem hominis judicantis tamquam per eum qui determinat, et declarat ea quæ implicite continentur in Scriptura, et hoc ex in-

fallibili assistentia Spiritus sancti ne erret, qui promisit Petro ut non deficiat fides ejus in confirmandis fratribus, unde non est verbum fallibile, nec pure humanum, sed ab assistentia Spiritus sancti gubernatum, de quo infra amplius dicetur.

ARTICULUS III.

Utrum potestas suprema determinandi res fidei sit tantum in vero, et legitimo successore Petri Romano pontifice?

I. Ostendimus in præcedentibus articulis potestatem determinativam rerum fidei debere esse aliquid visibile, et non solum spiritum invisibiliter loquentem cuicumque homini, nec sufficere declarationem visibilem a Spiritu factam in Scriptura, sed ulterius requiri auctoritatem visibilem hominibus, seu Ecclesiæ ab ipso Spiritu sancto traditam, ut tamquam a regula viva, et judice determinarentur ea, quæ circa fidem controverti possunt. Nunc restat declarare cui personæ, aut personis conveniat potestas ista, et auctoritas infallibiliter proponendi fidem. Et quia nemo dubitare potest hanc auctoritatem extra Ecclesiam esse, cum constet ipsam potestatem determinandi res fidei esse fundamentum Ecclesiæ, dicente Christo ad Petrum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, itemque ad ipsum pertinere Ecclesiæ gubernationem, et infallibilem fidem in proponendo, quæ omnia intra Ecclesiam esse debent, et ad illam maxime pertinere, sicut caput maxime pertinet ad corpus: idcirco ut investigemus subjectum hujus auctoritatis solum oportet discurrere per ea, quæ in Ecclesia inveniuntur, et ex quibus Ecclesia constat, ut illud invenire possimus.

II. Est autem supponendum quod in præsentibus non ponimus pro regula, et judice in rebus fidei totam Ecclesiam entitative acceptam, et ut dicit collectionem tam episcoporum, quam subditorum; aliud est enim totam Ecclesiam entitative acceptam errare non posse, nec deficere in fide, aliud est totam Ecclesiam esse regulam judicantem, et sententiantem res fidei. Primum enim necessario admittendum est, cum universalis Ecclesia sit sancta, et catholica, quod non esset, si a fide deficeret: secundum vero est impossibile, cum tota Ecclesia secundum omnes suas partes congregari non possit ut sententiam proferat, nec omnes partes, et membra Ecclesiæ auctoritatem judicandi habeant, neque enim omnes possunt esse pastores, aut doctores, ut inquit Apostolus 1 ad Corinthios XII. Oportet enim quod in Ecclesia, sicut in qualibet congregatione, et republica alii sint subditi, alii rectores, alii docentes, alii doctrinam recipientes: et sicut esset impossibile quod omnes in una republica haberent auctoritatem judicandi, et gubernandi, sic enim destrueretur corpus reipublicæ si omnes imperarent, et non haberent quibus imperarent: et sicut in corpore naturali esset inconveniens quod omnia membra essent oculus, aut caput; sic est impossibile quod tota Ecclesia secundum omnes suas partes habeat auctoritatem regulandi, et determinandi res fidei; et sic regula fidei non potest esse æque immediate in tota Ecclesia, sed ratione alicujus, vel aliquarum partium: sicut etiam in Ecclesia non possunt omnes esse boni, ita quod Ecclesia sit sancta secundum omnes suas partes, et membra, sicut non omnia, quæ sunt intra corpus humanum eodem modo a spiritu informantur, sed quædam solum a vegetativo

gradu, quædam etiam a sensitivo, etc. et quædam se habent in corpore, ut excrementa ejicienda, quædam ut in carnem transmutanda: sic in Ecclesia quædam membra sunt, ut rejicienda, et purganda, quædam ut purificanda, et spiritu gratiæ informanda, et quædam se habent ut palea, quædam ut granum. Sicut ergo tota Ecclesia non potest amittere sanctitatem, nec tamen omnes Ecclesiæ partes sunt sanctæ, sic neque tota Ecclesia potest deficere a fide, non tamen ista indefectibilitas est æque in omnibus partibus Ecclesiæ, et consequenter neque regulatio infallibilis fidei, quæ fundatur in indefectibilitate a fide æque est in tota Ecclesia, licet universali, et toti Ecclesiæ conveniat, sicut toti homini convenit videre, sed non in toto corpore est visus.

III. Punctus ergo difficultatis reducitur ad hoc ut videamus, an ista auctoritas pertineat ad principales partes Ecclesiæ; illæ autem sunt principales partes, quæ sunt positæ ad regendum Ecclesiam, quales sunt episcopi, juxta id quod dixit Paulus, Actor. xx: *In quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* De his ergo quærimus, cuinam, vel quibus conveniat infallibilis auctoritas definiendi res fidei, et si uni convenit, an ille sit Romanus pontifex Petri successor. Loquimur etiam de suprema potestate determinandi res fidei, quia etsi in collectione, seu Concilio episcoporum sit auctoritas definiendi, et determinandi res fidei, non tamen omnino independens a confirmatione supremi capituli Concilii, quod est summus pontifex. Unde non disputamus modo de potestate Concilii, an habeat, vel non habeat potestatem determinandi res fidei, et an habeat potestatem supra papam, præsertim quando non constat esse

legitimum pontificem, sed inquiremus de illa suprema potestate in rebus fidei ita infallibili quod ulterius ab aliqua confirmatione dependens non est, an de facto in aliqua persona Ecclesiæ reperiatur, et in qua.

IV. Circa hanc ergo quæstionem varia fuerunt hæreticorum placita, et errores impugnant, et dene-gantes auctoritatem istam apostolicæ sedi Romanorum pontificum. Et in primis si loquamur generaliter, omnes hæreses in ipso exercitio auctoritatem istam negant, quia ab ejus diffinitionibus recedunt, quo sensu recte dixit Cyprianus epistola LV: « Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur. » Quis autem sit iste sacerdos, et quæ cathedra judicis eadem epistola infert Cyprianus dum inquit: « Navigare audeat, et ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum: » et epistola XL: « Una Ecclesia, inquit, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata, quisquis alibi collegerit spargit. » Præter hanc autem omnium hæreticorum generalitatem a Petri cathedra, et apostolica sede recedentium fuerunt peculiare errores de ipso Romani pontificis primatu. Varie enim et quasi gradibus quibusdam hanc veritatem, imo potius totius veritatis fidei promptuarium diabolus expugnare conatus est. Primo, per schismata, et irrisiones, seu blasphemias: secundo, per negationem singularis prærogativæ ejus super cæteros: tertio, per totalem abnegationem

potestatis ejus. In primo ordine incœpit Tertullianus cum ad Montani hæresim, et Cataphrygum lapsus est, in Romanum pontificem invehi, ut patet in libro de pudicitia contra Psychicos, ubi quasi per irrisionem eum episcopum episcoporum, nominat, et ejus edictum de indulgendo his qui peccaverunt, si pœnitentiam ostendant, non recipit. Postea Donatistæ apostolicam sedem cathedram pestilentia nominabant, et ab ea divisionem fecerunt, quam etiam Berengarius, Waldensis, Wicleph, et alii miris injuriis Romani pontificis auctoritatem infestarunt. Supra omnes autem Dioscorus damnatus in Concilio Chalcedonensi ausus est intorquere sententiam anathematis in Romanum pontificem S. Leonem ut habetur in actione prima ejusdem Concilii.

V. In secundo ordine incœperunt Græci, et Armeni singularitatem primatus Romani pontificis dene-gare, nam in primis cum in secunda Synodo generali, ut colligitur ex appendice canonis quinti tentassent episcopum Constantinopolitanum in patriarcham sublimare, eique secundum locum post Romanam sedem tribuere (quod tamen ab apostolica sede pro tunc non videtur receptum) postea in Synodo Chalcedonensi actione XVI, cum jam congregatio esset soluta, et legati apostolici absentes clanculum orientales episcopi canonem ediderunt in quo Constantinopolitanæ sedi ita secundum locum post Romanam dedere, ut tamen æqualia ei privilegia concederent. Quod postmodum amplius extendere volentes tempore Pelagii secundi, et S. Gregorii titulum universalis episcopi Constantinopolitanus episcopus sibi arrogavit. Ac denique aperte pontificis Romani supremam auctoritatem denegarunt dicentes eum ab hac potestate decidisse, eo quod con-

tra prohibitionem secundæ et terciæ Synodi generalis addiderit symbolo illam particulam Filioque procedit, ut colligitur ex epistolis Leonis V, ex Sigeberto in chronicon. Similiter etiam Nilus quidam episcopus Thessalonicensis librum evulgavit contra primatum pontificis Romani. Item Waldenses, qui se ab obedientia Romani pontificis subtraxerunt, ejusque negarunt singularem auctoritatem, quia ut refert Castro de hæresibus verbo papa, docebant omnes presbyteros esse pares, neque unum esse alio superiorem; quæ fuit olim hæresis Arii; ut refert Epiphanius hæresi LXXV, et videri potest Augustinus de hæresibus, ad quod vult Deum hæresi LIII. Et similiter id docuit Marsilius quidam Paduanus, et Joannes de Sanduno, qui ante 500 annos censuit Christum solum dedisse sacerdotibus potestatem ministrandi sacramenta, et prædicandi, non vero ad obligandum, vel præcipiendum.

VI. Denique Anglicana hæresis ex alio fundamento longe diversa unitatem capitis supremi in Ecclesia negavit existimans unumquemque principem temporalem supremum in suo regno, supremam etiam auctoritatem spiritualem habere, quia existimant potestatem politicam non a populis regi collatam, sed a Deo immediate, et cum ea recepisse etiam principes tempore legis naturæ, et scriptæ potestatem circa spiritualia, eamque mansisse tempore gratiæ, in quo jubentur omnes Christiani subijci principibus sæcularibus ad Rom. XIII: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etc.* et iterum I Petri II: *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, etc.* Unde Tertullianus in libro ad scapulam de Christianis: « Colimus, inquit, et nos imperatorem quomodo nobis

licet ut hominem a Deo secundum, et quidquid est a Deo consecutum, solo Deo minorem, sic enim omnibus major est dum solo vero Deo minor est. » Igitur regia potestas, etiam in lege gratiæ a Deo ipso immediate dimanat, et soli Deo immediate subest, non papæ.

VII. Tertio ordine sunt in primis Fraticelli, qui docuerunt cessasse in Romana Ecclesia auctoritatem Petri, et ad ipsos esse translata, de quo videatur Turrecremata libro IV de Ecclesia, part. II, cap. XXXVII. Similiter etiam Wiclephistæ, et Husitæ, ut constat ex Concilio Constantiensi sessione VIII et XV, contra auctoritatem Romani pontificis insurrexerunt. Ac denique nostro tempore Lutherus, Calvinus, et omnes quotquot sunt hæretici in hoc potissimum omnes suas vires intendunt ut supremam pontificis potestatem negent, et impugnent. Et in summa censent omnes Christianos in sacerdotio pares esse, et distinctionem cleri a populo tollunt: addunt vero Romanum episcopum aliquando fuisse sicut unum de cæteris episcopis, et si non superiorem illis, qui tamquam pastor quidam et concionator illius Ecclesiæ se habuerit, imitantes in hoc verba Tertulliani libro citato de pudicitia: « Et tu, inquit, quantis potes misericordiæ illecebris bonus pastor, Benedictus papa concionarit, et in parabola ovis capras tuas quæris, etc. » Addunt vero hæretici nunc papam nihil aliud esse quam antichristum existimantes antichristi nomine non aliquam singularem personam, sed regnum aliquod maxime tyrannicum, et violentum designari, quod ipsi putant in pontificali regimine compleri. Igitur ea quæ difficultatem aliquam in hac materia inducere possunt, conformiter ad istarum hæresum ordinem tractanda sunt, et ad duo capita re-

ducenda, et primo ostendemus istam auctoritatem supremam esse tantum in uno: secundo, determinate in Romano pontifice Petri successore: sit ergo.

VIII. Prima conclusio: In Ecclesia suprema auctoritas determinandi res fidei in uno supremo capite ponenda est. De hac conclusione videatur D. Thomas IV contra gentiles, capite LXXVI, et in additionibus, quæst. XL, art. VI, est autem de fide definita in Concilio Constantiensi ubi damnatur tamquam error XXVII, articuli Wicleph. quod non oportet esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militanti Ecclesia conversetur, et conservetur. Ut autem contra hæreticos etiam probetur, et de fide esse ostendatur pro majori intelligentia advertendum est quod loca Scripturæ, in quibus unitas capitis hujus habetur, et auctoritas suprema circa res fidei sunt præcipue tria, scilicet Matth. XXVI: *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cælorum*: Lucæ XXII: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: et Joan. ultimo: *Pasce oves meas*. In quibus locis sine dubio aliqua potestas, et auctoritas datur, ut patet cum dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum, et confirma fratres tuos in fide*, ac denique: *Pasce oves meas*: hæc enim omnia significant actus potestatis, et auctoritatis. Ipsa enim metaphora clavium in Scriptura potestatem designat, ut Isaiæ XXII: *Potestatem autem dabo in manu ejus, et dabo clavem domus David super humerum ejus*: et Apocalyp. III: *Hæc dicit Sanctus, et Verus, qui habet clavem David, etc.* Ipse etiam actus confirmandi in fide auctoritatem designat, alias non fieret confirmatio si infallibili auctoritate du-

bietas non tollitur. Denique ipsum pascere potestatem designat regendi. Unde in Scriptura rex, et gubernator pastor appellatur, Isaiæ XLIV: *Qui dico Cyro: Pastor meus es*: Ezech. XXXIV: *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem: ego autem Dominus ero eis in Deum: et servus meus David princeps in medio eorum*: ubi pro eodem reputatur nomen pastoris et principis. Et quod loquatur de hominibus constat per id quod subditur: *Vos autem greges mei greges pascuæ meæ homines estis*. Igitur pascere oves Domini auctoritatem, et potestatem importat super homines: et sic in Psalmo XXII, illud verbum Dominus regit me legitur juxta Hieronymum Dominus pascit me, pro eodem sumens regere, et pascere.

IX. Secundo, pro constanti teneri debet hanc auctoritatem alicui certæ personæ esse commissam quod patet ex ipsa designatione personæ per pronomina designativa videlicet: *Tibi dabo: tu es Petrus: tu confirma fratres tuos: Simon Joannis pasce oves meas*, ergo ille singularis homo ex vi talis designationis aliquam recepit potestatem, et auctoritatem. Unde dixit Cajetanus super XVI Matthæi non potuit Dominus magis individualiter exprimere personam Petri, quam nominando ipsum pro nomine designativo, et nomine proprio Simon, et designatione proprii patris filius Jonæ, et designatione hominis a Christo impositi, tu es Petrus. Et quod per illa pronomina, præcipue per illam particulam super hanc petram, non designetur alia persona præter Petrum, licet an referatur ad Petrum, vel ad Christum dubitaverit, Augustinus homilia ultima in Joannem et hom. XIII de verbis Domini, et libro primo retracta-

tionum, cap. XXI, ubi utramque expositionem admittit tamquam probabilem, patet; tum, quia est communis sanctorum intelligentia illam petram, et fundamentum, intelligi de petro, quod est fundamentum Ecclesiæ, ut ostendit magister Bagnez hic dubio primo, circa primam conclusionem, sic enim appellant Petrum, fundamentum, et caput Ecclesiæ patres Concilii Chalcedonensis, et in sexta Synodo generali, act. IV, et in Concilio Florentino, et in Constantiensi tamquam error Wiclephi damnatur dicere, quod Petrus non fuit caput Ecclesiæ; tum, quia sine controversia et illam sequentem particulam tibi dabo claves regni cælorum, referri ad ipsum Petrum, neque enim potest referri ad ipsum Christum, nec enim sibi dare poterat claves dicendo tibi dabo, sed Christus designat se ut conferentem, et Petrum ut eum cui confert, cum dixit tibi et Simon Joannis pasce. Nec etiam designat Petrum in persona aliorum Apostolorum, quia loquitur cum Petro discernendo ipsum a cæteris; ergo loquitur personaliter, et individualiter cum Petro.

X. Nec dici potest, quod fundavit Christus Ecclesiam super ipsam confessionem fidei absolute, quia confessio fidei non accepit claves, sed persona illa, quæ confessionem fidei fecit. Unde nec Ecclesia dicitur fundari super confessione fidei absolute sumpta, et secundo quod a quolibet homine fit, ut impie Lutherani explicant, sic enim non magis fundaretur Ecclesia super Apostolos, et Petrum, quam super quemlibet fidelem, qui tamen non fundamentum sunt, sed ædificatio, dicente Apostolo I ad Corinth. III: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*: de Apostolis autem ad Ephes. II: *Superædificati super fundamentum Apostolorum, et prophetarum;*